



The Holy See

PAULUS PP. VILITTERAE APOSTOLICAE

QUEMADMODUM MUNERIS*

APOSTOLICA DELEGATIO, ANTEA INDOSINENSIS APPELLATA,
NOMINE «VIETNAMENSIS ET CAMBOGIENSIS» DISTINGUITUR.

Ad perpetuam rei memoriam. — Quemadmodum muneris Nostri conscientia postulat ipsique
Decessores Nostri facere consueverunt, singulis Ecclesiae provinciis earumque sacro regimini,
data occasione, studemus consulere. Quo ducti consilio, cum in praesenti Delegatio Nostra
Apostolica, quae antea Indosinensis appellabatur, ob immutatam locorum condicionem novaque
adiuncta, aptiore esse nomine distinguenda videatur, Nos huic rei mature satisfacere statuimus.
Collatis igitur consiliis sive cum Venerabili Fratre Nostro Hamleto Ioanne S. R. E. Cardinali
Cicognani, publicis Ecclesiae negotiis praeposito, sive cum Dilecto Filio Nostro Gregorio Petro S.
R. E. Presbytero Cardinali Agagianian, Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Praefecto,
Delegationem Apostolicam, Indosinensem hucusque nuncupatam, *Vietnameensem et*
Cambogensem posthac esse appellandam constituimus atque decernimus. Contrariis quibusvis
nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque
efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtineri;
illisque ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque
rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super
his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVII mensis Iunii anno
MCMLXIV, Pontificatus Nostri primo.*

HAMLETUS I. Card. CICOGNANI

a publicis Ecclesiae

negotiis

*A.A.S., vol. LVI (1964), n. 15, pp. 916-917

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana